

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Milicia k cum fonte primo

Plerique rei militaris ignari pleniorum uictoriam credunt, si aduersarios aut locorum angustiis aut armatorum multitudine circumdederint ut aditum non inueniant recedendi.

Sed econtra clausis ex desperatione crescit audacia et cum spei nichil est, sumet arma formido. Libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est qui dixit uiam hostibus qua fugerent inueniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad praebenda terga consenserunt, multi more pecudum trucidantur, nec insequentium ullum periculum est, conuicti quibus defendi poterant, arma conuerterunt. Hoc genere quanto maior fuerit, tanto facilius multitudo prosternitur.

Vegecius ibidem (libro II.).

Plerique rei militaris ignari pleniorum uictoriam credunt si aduersarios aut locorum angustiis aut armatorum multitudine circumdederint ut aditum non inueniant abscedendi.
Sed clausis ex desperatione crescit audacia, et cum spei nihil est sumit arma formido. Libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit uiam hostibus qua fugerent inueniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad praebenda terga consenserint, inulti more pecudum trucidantur, nec insequentium ullum periculum est, cum uicti quibus defendi potuerant arma conuerterint. Hoc genere, quanto maior fuerit, tanto facilius multitudo prosternitur;
neque enim ibi requirendus est numerus ubi animus semel territus non tam tela hostium cupit declinare quam vultum.

Publius Flavius Vegetius Renatus,
Epitoma rei militaris, 3, 21, 1-5 (M.D. Reeve ed., pp.108-9, ll.15-26, 1-4).